

affecuratur debitum; & debitori, qui ope pignoris in necessitate facilius invenit mutuam subsidiariam. *Pontas.*

CASUS XXXI. Gabinius promittit Gabriellæ matrimonium, & in sponſionis suæ arrham 500. florenos ipsi in manus tradit; licet univēsa bona illius mille tantum florenos conficerent. Post aliquot temporis intervallum absque ulla causa promissi poenitens traditos ipsi 500. florenos repetit. Teneturne Gabriela restituere hanc summam; maxime si Gabinius spondeat compensationem damni, quam vel ipsa jure petere potuerit, vel iudex aut æqui arbitri pronunciaverint?

ꝑ. Gabriela ad nullam tenetur restitutionem: qui enim ad affecurandam fidem ac promissionem suam pignus tradit, censetur consentire in illius jacturam, si absque justa ratione promissis stare neglexerit. *Mutare consilium*, inquit regula juris 33. in 6. *quis non debet in alterius detrimentum.* *Pontas.*

CASUS XXXII. Henrieta filiafamilias Martiali, a quo per violentiam deflorata fuerat, minitabatur actionem criminalem, nisi dotis loco daret 2000. imperiales. Martialis his minis perterritus dedit postulatam summam: Henrieta autem elapsis aliquot mensibus, cum nec commissum delictum nec illata violentia cuiquam innotuisset, eodem cum successu ac emolumento matrimonium contraxit, ac si dictam violentiam nunquam passa fuisset. An non tenetur restituere 2000. Imperiales; eo quod nil detrimenti incurrerit ex facto Martialis?

ꝑ. Licite ac juste Henrieta retinet dictam summam; licet eam necdum acceptam jure a Martiali postulare non posset ante sententiam iudicis: nunquam enim metus ex causa justa incussus, quantumcumque gravis, irritat donationem vel promissum, aut quemvis alium contractum, ut probat Azorius inſtit. moral. part. 3. L. 4. c. 23. ex legibus Romanis, & ex unanimi Theologorum atque Canonistarum consensu. *Pontas.*

NOTA. Henrieta non haberet quidem jus determinate exigendi hanc summam; haberet tamen jus agendi apud iudicem pro honestiori dote ad compenſandam verecundiam a marito sufferendam, si fors virgo non esse deprehenderetur. Si autem stuprator offerret æquam summam in compensationem injuriæ, posset & deberet ea acceptari ab oppressa.

CASUS XXXIII. Anatolius pro uno die operam suam locavit Leonidi ad transportanda vitra aliaque vasa fragilia, & nonnulla eorum confregit. Teneturne resarcire damnum?

ꝑ. Si id ex culpa ipsius accidit, etiam levi, tenetur Leonidi resarcire damnum juxta legem *Si mercēs.* 25. §. 7. ff. Lib.

19. Tit. 2. quæ dicit: *Qui columnam transportandam conduxit, si ea, dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset.* *Pontas.*

NOTA. Omni lege civili; quæ procedit ex præsumptione, potentior est intentio contrahentium, ex usu aut circumstantiis sufficienter declarata. Non est autem verosimile, locatores suæ operæ, plerumque tenui aut mediocri fortuna præditos, & in rebus propriis quandoque incurios, se obligare velle ad amissionem omnium suorum bonorum, si committant culpam levem.

CASUS XXXIV. Alexius Juvenali Parisiis Aureliam profecturo commodavit equum, monito simul, ut de nocte silvam declinet latronibus infestam; hic autem spreto monito, velocitate equi armisque suis confusus per silvam iter instituit, ac graviter vulneratus equum cedere coactus est. Teneturne Alexio compensare pretium equi?

ꝑ. Cum hic agatur de commodato, & Juvenalis ipsemet ultro sese exposuerit periculo, tenetur Alexio solvere pretium equi, interveniente culpa etiam levissima. *Commodatum, ait Lex Si ut certo.* 5. §. 2. ff. Lib. 13. Tit. 6. *plerumque solam utilitatem continet ejus, cui commodatur; & ideo verior est Quinti Mutii sententia existimantis, & culpam præstandam & diligentiam.* Concordat etiam jus canonicum. *Pontas.*

CASUS XXXV. Albinus Conrado homini prudenti ac fidei dedit negotium reducendi ad Damianum equum sibi commodatum; Conradus autem pleno in meridie in via a prædonibus invasus amittit equum. Cuiam equi jactura ferenda est?

ꝑ. Si Albinus ab homine ignoto monitus fuisset, ut remittat equum, & huic equum reducendum tradidisset, absque dubio Albinus teneretur Damiano equi Domino solvere equi pretium. Verum in præſente casu ad nihil tenetur; cum omnis casus fortuitus recidat in dominum rei, ut habetur Leg. *Argentum* 20. ff. Lib. 3. Tit. 6. ubi dicitur: *Argentum commodatum si tam idoneo servo meo tradidisset ad te perferendum, ut non debuerit quis æstimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus diriperetur, tuum, non meum, detrimentum erit, si id mali homines interceptissent.* *Pontas.*

CASUS XXXVI. Paternus commodavit Juliano duo argentea candelabra, quæ Julianus cistæ clave obseratæ una cum propria sua supellectile argentea inclusa asservabat in inferiori aula domus anterioris. Fures autem fractis emotis-

que ferreis fenestrarum clathris noctis beneficio hanc aulam ingressi omnem hujus cistæ supellectilem abstulerunt. Tene-
turne Julianus in foro conscientia Paterno restituere pretium
candelaborum?

§. Ad resolutionem presentis casus aliorumque hujus-
modi distinguendæ sunt tres culparum species. Prima est culpa
lata, dum negligitur illud, quod nemo solet negligere; &
hæc culpa gravis est & inexcusabilis. Secunda dicitur culpa
levis, quando negligitur id, quod homines ejusdem profes-
sionis, status ac conditionis non consueverunt negligere.
Tertia est culpa levissima, dum non omnis adhibetur indu-
stria, quam adhiberet homo prudentissimus ac diligentissimus.
His præsuppositis manifestum esse videtur, Julianum ab om-
ni culpa immunem non esse, & saltem levissimam contraxisse;
cum homo prudentissimus atque solertissimus nunquam
res pretiosas, ut sunt utensilia argentea, in cubiculo domus
inferiori plateam respicienti, in quod omnes adventantes
ordinarie ingrediuntur, sed reponit in loco tutiori, ac furi-
bus minus accessibili. Jam vero in contractu commodati ille,
in cujus solius utilitatem cedit, tenetur de damno etiam ex
culpa levissima emergente, ut ait Imperator Justinianus Instit.
L. 3. Tit. 15. §. 2. *Is, qui utendum accepit, sane quidem ex-
actam diligentiam custodiendæ rei præstare tenetur; nec sufficit
ei tantam diligentiam adhibuisse, quantum suis rebus adhibere
solutus est, si modo alius diligentior poterat eam rem custodire.*
Julianus igitur tenetur Paterno restituere candelaborum pre-
tium. Pontas.

CASUS XXXVII. Germanus cum percepisset, Leandrum
amicum suum iter decem circiter leucarum institutum, ob-
tulit ipsi equum suum per tres jam menses absque omni la-
bore stabulantem, veritus, ne ex ipsa hac otiositate morbum
contraheret. Leander oblato usus est equo, qui in itinere in-
flammatione tonsillarum laborare cœpit; cum vero istam
morbi speciem non intelligeret, neglexit accedere veterina-
rium, quem dimidia circiter leuca ab urbe, quam petebat,
remotum consulere potuisset, in urbe peritorem reperturum
se ratus. At equus, antequam in urbem venerat, periit.
Teneturne in conscientia solvere pretium equi?

§. Cum Leandri culpa levissima sit, obligari in conscien-
tia non potest ad solvendum pretium equi. Exigua oppidi ab
urbe distantia, & conceptum consilium peritorem in ea re-
periendi equorum medicum sunt duæ circumstantiæ, quæ
Leandrum ut plurimum excusare videntur. Ad hæc si com-
moda-

molatum cedit non solum in utilitatem commodatarii, sed
& commodantis, ut fiebat in præsentis casu, commodatarius
non tenetur ad compensationem damni ex culpa levissima ac-
cidentis, ut colligitur ex lege *In rebus.* 18. ff. Lib. 13. Tit.
6. Pontas.

CASUS XXXVIII. Aurelius titulo precarii commodavit
Bernardo pallium, quod ex ipsius imprudentia post biduum
fuit furto ablatum. Teneturne Bernardus solvere pretium
pallii?

§. Qui titulo precarii quidquam accipit, solum tenetur
de damno proveniente ex dolo vel culpa lata. Hinc si pal-
lium ablatum fuit Bernardo ex ipsius culpa levi tantum in sen-
su, quo terminum hunc leges accipiunt, in foro interno non
tenetur ad solvendum valorem pallii. *Dolum solum*, dicitur Leg.
Quæsitum. 8. §. 3. ff. Lib. 43. Tit. 16. *præstat is, qui precario
rogavit; cum totum hoc ex liberalitate descendat ejus, qui precario
concessit; Et satis sit, si dolum tantum præstetur. Culpam tam-
men (latam) dolo proximam contineri quis merito dixerit.*
Pontas.

CASUS XXXIX. Meletius rogavit Leonardum, ut sibi ad
tempus ex ipsius dependens arbitrio gratuitum concederet u-
sum quorundam mobilium sibi necessariorum. Leonardus an-
nuuit ipsius petito, elapso tamen mense ea repetiit. Meletius
vero ob quasdam rationes restitutionem earum recusat invi-
to quidem Leonardo. Post quatuor dies contigit, ut a furi-
bus prædicta mobilia ablata, aut incendio consumpta fuerint.
Quis igitur eorum jacturam harum rerum ferre tenetur?

§. In casu proposito de precario agitur; hinc Meletius,
qui has res precario acceptas reddere suo domino eas repe-
tenti renuit, tenetur earum jacturam ferre. Pontas.

CASUS XL. Sejus acceptata ab Alberto oblata sibi gratui-
ta procuratore negotiorum ipsius semper quidem bona fide
egit, cum aliqua tamen negligentia, quæ in causa fuit,
quod Albertus in prosecutione cujusdam litis expensas facere
debuerit centum florenos. Tenetur Sejus Alberto restituere
hos 100. florenos?

§. Certum est, quod procurator & mandatarius, etsi gra-
tis in se susceperit curam gerendi negotia alterius, obligetur
in conscientia ad adhibendam eandem curam, quam homo pru-
dens ac diligens in rebus suis propriis adhibere consuevit. Te-
netur igitur Sejus Alberto præstare damnum ex sua negligenti-
a illatum, & restituere centum florenos inutiliter expensos.
A procuratore dolum Et omnem culpam, non etiam improvisum

casum præstandum esse juris auctoritate manifeste declaratur. Leg. A procuratore. 13. Cod. Lib. 4. Tit. 35. Pontas.

NOTA. Si negligentia fuit talis, qualem Sejus in suis propriis facile committeret negotiis, præsumi non potest, eum habuisse intentionem se obligandi gratuito ad præstandam culpam ejusmodi levem.

CASUS XLI. Lucius Titio mandat curam suorum negotiorum, & culturam agrorum pertinentium ad Marcium amicum suum. Titius gratuito mandatam sibi provinciam in se suscipit; postea autem ex ipsius negligentia accidit, ut Marcio damnum 500. florenorum illatum sit. Peccavitne Titius sua negligentia? num etiam tenetur resarcire damnum Marcio illatum, quocum nullam iniiit conventionem?

ꝛ. Titius sua negligentia peccavit, & tenetur refundere Marcio damnum, quod intulit: sufficit enim, quod convenit cum Lucio etiam de agris Marcii. *Mandatum inter nos contrahitur, sive mea tantum gratia tibi mandem, sive aliena tantum, sive mea & aliena; aliena tantum, veluti si tibi mandem, ut Titii negotia gereres. Leg. Mandatum. 2. ff. Lib. 17. Tit. 1. Notandum tamen, quod hucusque dicta solum intelligenda sint de procurationibus aut commissionibus, per quas alicui expressis terminis injungitur onus per modum conventionis obligatorie; non autem de commendationibus, quibus unus alteri sua commendat negotia, v. g. precatione, consilio vel alio modo non habente vim conventionis aut obligationis, relicta illi plena libertate curandi vel non curandi negotia ipsi commendata. Pontas.*

NOTA. Vide notam in responsione ad cas. 40.

CASUS XLII. Bartholus rogavit Ægidium, ut aptissimo, quo fieri posset, tempore pratium suum demetendum curaret. Annuit Ægidius; sed, cum tempus maxime opportunum neglexisset, scœnum ex ingruente pluvia notabiliter corruptum est. Teneturne in conscientia ad aliquam compensationem; quamvis solum eam curam in se susceperit, ne Bartholus offensam incurreret?

ꝛ. Excusari non potest Ægidius a culpa saltem levi; & hinc tenetur resarcire damnum, sive dein gratuito acceptaverit hanc commissionem, quod in jure *mandatum* dicitur, sive pro certa pecuniæ summa a Bartholo promissa hanc curam & laborem in se susceperit, quod vocatur *locatio operarum*. Pontas.

Vide cas. 40. 41.

CASUS XLIII. Dracontius acceptata a Claudio sibi commissa negotiorum gratuita procuratione, eorum gerendorum tandem pertæsus officio suo deesse cœpit, ex quo Claudius damnum passus est 400. florenorum. Teneturne Dracontius reparare damnum?

ꝛ. Si Dracontius de mutatione voluntatis suæ prius Claudio non monuit, cum tamen id fieri potuisset, tenetur Claudio resarcire damnum. *Quodsi, cum possit, nunciare cessaverit, quanti mandatoris interfit, tenebitur: si aliqua ex causa non poterit nunciare, securus erit. Leg. Si quis. 27. §. 2. ff. Lib. 17. Tit. 1. Pontas.*

CASUS XLIV. Gratianus nobilis juvenis Parisiis obiit, quem Alphonsus amicus ipsius humanum curavit, persolutis in sumptus funerales 150. florenis. Verum hæres Gratiani de expensarum excessu conquestus noluit integram compensationem præstare Alphonso. Num salva conscientia?

ꝛ. Si constat, dictas expensas prudenter & bona fide fuisse factas, hæres Gratiani in conscientia tenetur Alphonsum indemnem reddere. Si vero constaret de opposito, hæres posset deducere partem sumptuum superfluum, & non teneretur in foro interno ad solutionem expensarum imprudenter factarum. Pontas.

CASUS XLV. Eustochius Principem suum ut officialis domesticus in Germaniam comitatus domum suam reliquit ruinæ proximam, quin cuiquam ejusdem curam commisisset. Sempronius amicus ipsius domum ex omni parte fulcris sustentandam curavit: verum post octiduum ea vehementi vento concussa penitus corruit, frustratis sine suo expensis Sempronii. Cum postea Eustochius domum redisset, petit ab eo Sempronius 60. florenos ad fulciendam domum expensos. Num juste hanc compensationem denegat Eustochius?

ꝛ. Omnes leges in eo conveniunt, ut, quisquis ex mera benignitate ac amicitie studio in urgenti necessitate absentis negotia gerit, indemnis servetur. *Si quis absentis negotia gesserit, licet ignorantis, ait L. Si quis. 2. ff. Lib. 3. Tit. 5. tamen quidquid utiliter in rem ejus impenderit, habeat eo nomine actionem.* Hinc Eustochius tenetur Sempronio resarcire expensos sexaginta florenos. Pontas.

Vide cas. seq.

CASUS XLVI. Probus sciens, Rollando amico suo absentis, nec ante semestrem redituro intentatam a Cajo fuisse actionem pro solutione mille florenorum, quos sibi deberi falso affirmabat, spondaneæ amici causam defendendam suscipit, cum sufficientes haberet probationes injuste a Cajo factæ pe-

titionis. Cum autem ante aliquot menses Rollandus obliisset, Probus a defendenda causa ipsius penitus abstinet, quo factum, ut dicti mille floreni Cajo adjudicati fuerint. An hæres Rollandi cognita causæ ferie juste a Probo petit compensationem mille florenorum?

3. Leges civiles neminem cogunt ad suscipiendam curam negotiorum alienorum, nisi quis ad id teneatur vi officii v. g. tutoris vel curatoris. Si quis vero ultronee ac propria voluntate alterius negotia curanda suscepit, tenetur ea prosequi usque ad finem, nec ipsi liberum est a suscepta cura desistere; ex quo sequitur, quod teneatur rationem reddere suæ administrationis. Rationem allegat Imperator Justinianus Instit. Lib. 3. Tit. 28. §. 1. *Sicut is, qui utiliter gessit negotia, dominum habet obligatum negotiorum gestorum; ita & contra is quoque tenetur, ut administrationis reddat rationem.* Tenetur itaque Probus reparare damnum illatum hæredi Rollandi. Nec juvat dicere, quod mors Rollandi plane libertatem ipsi dederit ab incepto negotio desistendi: nam & hoc effugium sublatum est Lege Nam & Servius. 21. §. 2. ff. Lib. 3. Tit. 5. dicente: *Si vivo Titio negotia ejus administrare cepi, intermittere mortuo eo non debeo nam quæcumque prioris negotii explicandi causa geruntur, nihilum refert, quo tempore consummentur, sed quo tempore inchoarentur.* Pontas.

Vide cas. 45.

CASUS XLVII. Valerio in regione longinqua degenti intentata est actio injusta; & Palæmon amicus Valerii sua sponte absque omni mandato amicum absentem contra actores defendendum suscipit. Verum pendente lite ex defectu prudentiæ commisit notabilem errorem, aut saltem levem, Valerio tamen valde nocivum. An tenetur reparare damnum Valerio illatum?

3. Si nemo alius negotia absentis Valerii curare voluerit, Palæmon solum tenetur ad reparandum damnum culpa gravi & notabili illatum. Si vero rationabiliter prævidere potuit fore alium, qui negotia ejusdem gerere vellet, & semet ipsum illi prætulit, tenetur ad reparationem damni non solum ex culpa notabili, sed etiam levissima illati, cum alium fors diligentem ac peritorem impederit in gerenda cura negotiorum Valerii. Observandum hic, quod quandoque quis secundum Glossam etiam teneatur de casu fortuito. v. g. 1. Si quis se ingesserit causæ pupilli, semper perquam favorabili. 2. Si propria sponte alienis se negotiis immiscuit, alterius bona usurpandi animo. 3. Si ultro pro alio novas & extra ordinarias causas attentavit nulla re urgente, ut si illo

in scio

in scio alicui se implicuisset commercio. 4. Si casus fortuitus accidisset ex commissa ab eo culpa. 5. Si denique injustæ moræ reus foret. Pontas.

CASUS XLVIII. Aristus causam amici sui Claudii absentis, cujus omnia bona sequestrabantur, suscepit ex amicitiae motivo; quam ob rem coactus erat aut mutuam accipere pecuniam pro censu annuo, aut propriam suam impendere, quam alias in commercium lucratorium expendisset. Teneaturne Claudius in conscientia non solum summam principalem restituere, sed & persolvere censum annuum, aut compensare Aristi damnum ex impensa propria pecunia emergens?

3. Tenetur non solum restituere Aristi summam principalem mutuo acceptam, sed & præstare censum pro dicta pecunia. Tenetur insuper compensare lucrum, quod juste ac legitime Aristi accedere potuisset, si pecuniam suam collocasset in commercium. *Ob negotium alienum gestum sumptuum factorum usus præstari bona fides suasit.* Leg. Ob negotium. 18. Cod. Lib. 2. Tit. 19. Pontas.

CASUS XLIX. Fabricius gemmarius ad incitas redactus jam instar servi conductitil operam suam locat aliis eandem professionem exercentibus ad vendendas & emendas gemmas, qui ipsi pro mercede industriæ suæ solvunt dimidium procentum absque eo, quod ipsemet ab emptoribus obtenturus est. Huic Paulinus & ipse gemmarius committit vendendum adamantem pro 3000. florenis, si fieri possit, quem Fabricius exhibet Barnabæ, qui pro eo solum 2150. florenos offerebat. Cum vero Paulinus pluris æstimaret adamantem, Fabricius altera die ipsum adiit, illique significat, oblatos sibi esse pro adamante 2250. florenos; Paulinus vero expresse vult, ut adamas alius etiam ac pluribus venalis exponatur, tenteturque, an non 2500. aut saltem 2400. florenis vendi possit; hoc pretium si obtineri non valeat, assentit tandem, licet ægre, ut vendatur 2250. florenis. Fabricius secum reputans, brevi tempore haud modicum sibi lucrum ex hoc adamante accessurum, eum sibi retinet, solutis Paulino ex ære proprio 2250. florenis, a quo insuper recipit 70. florenos, mercedem industriæ suæ. Elapsa vix septimana Fabricius denuo accedit Barnabam, eique significat, Paulino haud alio quam 2400. florenorum pretio venalem esse adamantem, quos ille solvit, additis in lucrum Fabricii pro negotiationis industria 30. florenis. Et sic factum, ut Fabricius hac occasione lucratus fuerit 250. florenos. Jam quaeritur, an Fabricius adamantem pro se ipso emere potuerit, & tamen pro sua industria ab emptore

ptore secundo ac venditore primo recipere 100. fl. orenos : & si ad restitutionem teneatur, cuiusmodi & quomodo facienda sit restitutio.

R. Bona fides anima esse debet omnium contractuum, conventionum, ac reciprocorum inter homines officiorum. Paulinus ex parte sua optima fide egit cum Fabricio; hic autem contractæ cum Paulino conventioni in pluribus infidelis existit, dum suum mandatarii ac proxenetæ officium infcio mandante ac constituente dimisit, ac semetipsum adamantis emptorem fecit, neglectoque commodo Paulini unice lucro proprio inhiavit; licet proxeneta utilitatem illius, a quo merces vendendi negotium accepit, eadem cura, solertia ac fidelitate promovere teneatur, qua rebus propriis invigilare solet. Hinc non solum tenetur Fabricius restituere Paulino 150. florenos injuste ipsi subtractos, sed etiam receptos a Paulino & Barnaba mercedis instar 100. florenos. *Pontas.*

CASUS L. Genesius thesaurarius Principis summam 25000. florenorum, quam a variis fundorum aut ædium locatariis receperat, quæque ad solvendum officialibus ac famulis aulicis salarium destinata erat, commercio aut cambio ad duos vel tres menses commisit, & inde lucratus est 2000. florenos. Potestne salva conscientia hoc lucrum sibi retinere? An non Principi illud cedere tenetur?

R. Absque injustitia hoc lucrum sibi retinere potest Genesius; dummodo nec Principi, nec iis, in quorum salarium hæc summa destinata erat, ullum damnum intulerit: lucrum enim hoc unice attribuendum est ipsius industriae, & non pecuniæ, utpote quæ ex natura sua sterilis nihil potest producere. Præterea ejusmodi aulæ ministris exacte reddenda est ratio acceptarum pecuniarum, & propterea ab ipsis ordinarie cautiones exiguntur. Accedit, quod Principes ac Magnates plerumque sciunt, thesaurarios suos, quamdiu hujusmodi pecuniæ in eorum hærent manibus, eas in lucrum suum convertere, ut adeo tacite consentire videantur. Sic respondet S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. Tit. 1. §. 1. *Pontas.*

NOTA. Tenetur tamen Genesius ad restitutionem Principi aut famulis, si solutionem illi vel istis faciendam diutius retardasset; aut locatariis, si ab iis anticipatam solutionem extorsisset; aut ærario Principis, si illi post mortem solum cederet sua debita activa incertæ solutionis.

CASUS LI. Amabilis habens actionem contra quemdam privatum, advocatum suum elegit Bartholum, illique anticipato solvit decem aureos, ut ad defensionem causæ se prepararet.

pararet. Ast lite nimium protracta Bartholus moritur, priusquam defensionem causæ inceperat. An hæredes ipsius tenentur restituere dictos aureos Amabili illos repetenti?

R. Non tenentur: Bartholus enim jam discutiendam suscepit causam Amabilis ante obitum suum, paratusque erat ad eam defendendam, si eo superstite in iudicium deduci potuisset. *Divus Severus ab hæredibus advocati mortuo eo prohibuit mercedem repeti; quia per ipsum non steterat, quo minus causam ageret. Leg. Præses. 1. §. 13. ff. Lib. 50. Tit. 13. Pontas.*

NOTA. Ex hoc ipso responso sequitur, hæredes ad restitutionem obligandos, si Bartholus discussionem causæ neglexisset.

CASUS LII. Heraclides triginta aureos, quos Phocioni abstulerat, exposuit lusui, in quo 250. florenos lucratus est. Tenenturne cum triginta aureis etiam lucrum Phocioni restituere?

R. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 78. art. 3. C. non tenetur restituere lucrum, sed solum ablatis aureos, & compensare damnum rei ablatæ domino illatum. Cabassutius Jur. Can. Theor. & prax. l. 6. c. 11. n. 2. hanc allegat rationem; *quia id lucrum est fructus ejus singularis industriae aut fortunæ: hæc autem cum sint personalia, si nullum pactum in oppositum intercessit, non fructificant nisi soli personæ, in qua sunt. Pontas.*

NOTA. Peccavit tamen Heraclides gravissime furtivam pecuniam exponendo periculo deperdendi, aut difficilem vel omnino impossibilem reddendi restitutionem.

CASUS LIII. Nebridius & Licinius ad decem annos societatem universalem inierunt omnium bonorum suorum, mobilium & immobilium, præsentium & futurorum absque ulla exceptione. Contigit autem biennio post, ut Nebridius jure hæreditario acquireret domum, cujus redditus per quinque annos sibi soli reservavit, nullam Licinio partem competere ratus. Verum Licinius dimidium pretii ex locata domo sibi deberi prætendit. Num jure?

R. Nebridius tenetur solvere Licinio dimidium pretii ex locatione domus percepti: eadem enim est ratio societatem bonorum inter se habentium & cohæredum. Nec etiam bona fides Nebridium eximit a restitutione fructuum hucusque perceptorum. *Pontas.*

CASUS LIV. Leo in publica urbis platea invenit crumenam decem aureos Francicos continentem, ignorans, ad quem pertineat hæc pecunia. Vel invenit quidpiam aliud æ-

stima-

stimatione dignum in platea vel alio in loco. Teneturne restituere? Et positò quod teneatur, cuiam & quomodo faciendà est restitutio?

ꝑ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. Leo non potest sibi retinere hos aureos; & si ignoret ad quem pertineant, tenetur eos convertere in usus, quos eorum domino judicaverit utiliores & magis acceptos, ut saltem fructus spirituales hujus boni temporalis redundent in dominum. Tenetur igitur Leo has pecunias erogare in pauperes, & si ipsemet sit pauper, consulere confessarium, a quo permitti poterit, ut inventam summam sibi retineat. Verum si pretiosas gemmas aut margaritas ad litus maris in arena dispersas reperiret, eas sibi vendicare posset. *Pontas.*

NOTA. Huic responsioni opponi posse videtur communis sensus omnium hominum, qui inventores arbitrantur felices, quales tamen non essent, si daretur obligatio justitiæ inventa erogandi in causas pias. In Germani plerique Doctores, maxime insigniores docent, res inventas, si non reperitur dominus, posse retineri ab inventore; cumque obligatio eas convertendi in causas pias vel deobligatio dependeat ex intentione ac tacito contractu populi, cujus os sunt Doctores, dicendum, quod in Germania hæc obligatio non datur; quia universim in rebus disciplinæ ac arbitrariis Doctores formant mentem populi, sicque vel inveniunt vel faciunt legem.

CASUS LV. Gualterus inventa crumena triginta aureis referta omni, qua potuit, diligentia per sex menses inquisivit in dominum, sed frustra. Consulit igitur eapropter confessarium, eoque auctore inventam pecuniam donat communi civitatis hospitali, in cujus territorio eam invenerat. Elapso vix mense comperit, crumenam pertinere ad Benedictum, qui & eandem repetit. Teneturne Gualterus in foro interno restituere dictam summam ex propriis?

ꝑ. Non tenetur restituere ex propriis: possessores enim bonæ fidei rebus ad alium pertinentibus bona fide consumptis solum tenentur restituere id, ex quo facti sunt locupletiores. Hinc Gualterus, qui inventam pecuniam volente confessario donavit hospitali, coram Deo & mundo absolvendus est ab obligatione restituendi. Observandum tamen, in ejusmodi casibus res inventas non nisi hac conditione esse donandas, ut, si dominus earum cum tempore innotescat, restituantur illi. *Pontas.*

NOTA. Hic casus ostendit, exoptabilis esse Domino rei, si inventor non obligetur ad expendenda inventa in causas pias, ut semper possit facile conveniri professor rei. Et vere in hoc casu ad restitutionem obligandus videtur confessarius, præsertim si suassisset, ea sibi

vel

vel suis applicanda in stipendia missarum; eo quod usus fuisset sententia mere probabili in præjudicium tertii, & ob jus incertum privasset dominum rei jure certo domini civilis vel actionis utilis pro recuperatione rei.

CASUS LVI. Metellus faculum repererat viginti quinque florenos una cum aliquot chirographis tabellario solvendis continentem, eumque ad Fabium amicum suum pertinere comperit, ad quem ocyus per famulum domesticum inventa remittit; sed ea omnia a duobus militibus forte occurrentibus famulo errepta sunt. Teneturne Metellus ad restitutionem?

ꝑ. Dicendum videtur, Metellum in conscientia haud obligari ad ullam restitutionem: juxta principium juris enim *Cap. Cum gratia. unic. Lib. 3. Tit. 15. quoties omni debitoris culpa seclusa res debita perit, domino suo perit.* Tota ergo jactura ferenda est Fabio. *Pontas.*

CASUS LVII. Crassus fornicarius labore suo distentus forte reperit capsulam cupream quadraginta aureos continentem, eosque suis necessitatibus applicat. Teneturne eos restituere? & cui?

ꝑ. Si Crassus persuasum sibi habeat, hanc summam non esse legitime a se acquisitam, vel solum prudenter de eo dubitet, tenetur in conscientia ad restitutionem: nam semper datur obligatio restituendi rem male fide acquisitam, licet jam consumptam, & solum dubium sufficit ad destruendam bonam fidem. Si vero Crassus hos aureos bona fide consumpsisset in firma persuasione, faventem fortunam eorum dominium in se transtulisse, non tenetur restituere, nisi in quantum factus est ditior: in eo enim casu obligaretur ad restitutionem, quamvis ea fieri non posset sine proprio incommodo. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio probari haud posse videtur: non enim proprium cujusque judicium in regulam erigendum, sed per sanam doctrinam regulandum est. Crassus adhibita morali diligentia pro detegendo relictæ inventæ domino eam tamdiu servet, donec ejusdem detegenæ omnis spes evanescat.

CASUS LVIII. Callistrates præmeditate occidit Medericum opificem, qui unice per laborem suum nutrebat patrem, uxorem & infantulum, omnes ad comparanda sibi vitæ necessaria impotentes. An Callistrates a confessario obligandus est, ut præfatis necessariam, eorumque conditioni competentem sustentationem procuret? Potestne ipsi denegari absolutio, si id oneris non suscipiat?

ꝑ. Qui

ꝛ. Qui occidit alterum extra casum justæ ac necessariæ defensionis propriæ vitæ, tenetur coram Deo refarcire omnia damna per homicidium illata juxta æquitatem & æstimationem hominum prudentum & doctorum; & consequenter Callistrates tenetur sublevare non præsentem solum, sed & futuram necessitatem, ad quam pater, uxor, & infantulus occisi fuerunt redacti. *Si interfectus sustentabat reliquas personas*, inquit S. Antoninus 2. part. Summæ Theol. Tit. 2. c. 2. §. 2. *ut patrem, filios & hujusmodi operibus manuum suarum, teneatur interfectus omnibus illis ad tantum, quantum illis abstulit subsidii propter occisionem ejus.* Si poenitens hanc obligationem acceptare renuat, deneganda est ipsi absolutio. *Pontas.*

CASUS LIX. Pisistrates Clodionem, cui jam diu infernus erat, obviam forte sibi factum aggreditur, illique ictu gladii manum amputat. Teneturne ad aliquam restitutionem?

ꝛ. Si Clodion sit opifex, & mutilatio sit in causa, quo minus sustentationem suam sibi comparare possit! tenetur Pisistrates sub peccato mortali reparare omne damnum sua mutilatione illatum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. Et quia damnum illatum redundare potest in familiam mutilati, & durare quoad dies vitæ, mutilator etiam respectu hujus circumstantiæ juxta S. Antoninum supra citatum ad reparationem damni tenebitur. *Pontas.*

CASUS LX. Protasius non tam nobilitate quam morum pravitate insignis, cum frustra tentasset corrumpere Amaliam filiamfamilias proxime nupturam, nares illi amputavit aut oculum effodit. Teneturne ad aliquam restitutionem?

ꝛ. Si Amalia non possit in hoc statu inire matrimonium ejusdem emolumenti, quo antea, absque dubio Protasius tenetur illi reparare damnum a se illatum, v. g. augmento dotis, ita ut hoc modo æque proficuum connubium sperare possit. *Pontas.*

CASUS LXI. Odo nobilis contra Balduinum hominem plebejum vindictam meditatus falso affirmat, se ab eo furto fuisse læsum. An tenetur Odo reparare damnum, quod Balduino sua calumnia intulit? Aut posito, quod verum dixerit, ad quid tenetur?

ꝛ. Si Odo falso Balduinum furti inculpavit, tenetur id declarare: *tenetur restituere famam confitendo, se falsum dixisse*, ut ait Doctor angelicus 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. Si vero propalatum crimen veritate nitatur, & si propalatio sit injuste facta & animo vindicativo, fateri tenetur, se ex passione sic fuisse locutum, hominemque hunc injuste diffamasse. Si modus iste ad reparationem damni haud sufficiat, juxta eundem S. Thomam ibid. *tenetur, quantum potest, sine mendacio tamen.*

Si

Si insuper per calumniam intulit proximo damnum in bonis fortunæ, etiam istud refarcire tenetur. *Pontas.*

NOTA. Si quis diffamando proximum vera dixit, & videat, bonam famam diffamati esse nocivam Deo, Ecclesiæ, Reipublicæ vel communitati, non tenetur restituere seu reparare famam. Si autem videat, ejus famam esse utilem Ecclesiæ vel Reipublicæ, tenetur ejusdem famam celebrare in aliis objectis.

CASUS LXII. Hippolytus atrociter columniatus est Sabinium, qui tamen testibus fide dignis se purgavit a calumnia, & effecit, ut Hippolytus poenata in calumniatores latam subire coactus sit. An Hippolytus nihilominus tenetur revocare, & insuper compensare expensas, quas Sabinus facere debuit ad sui defensionem?

ꝛ. Si revocatio jam sit inutilis Sabinio, Hippolytus non tenetur revocare: tenetur tamen in conscientia reparare damnum, quod per calumniam passus est Sabinus, & restituere expensas in suam defensionem necessarios factas. *Pontas.*

CASUS LXIII. Farulphus calumnia & infamia affecit Theocritem vicinum suum, qui tamen generose injuriam ipsi condonavit. An nihilominus tenetur Farulphus reparare famam offensi, expresse hanc obligationem offendenti condonantis?

ꝛ. Tenetur duntaxat satisfacere Deo per sinceram poenitentiam, & vivere cum Theocrite ex præscripto charitatis proximo debitæ. Facta autem condonatione ad reparationem famæ non tenetur, maxime si Farulphus sit persona privata, de cujus fama nec Ecclesiæ nec Reipublicæ particulariter interest. *Pontas.*

NOTA. Et si Theocrites sit persona privata & pauperrima, tenetur tamen calumniator revocare, si falsa dixit, et si ipse supremus Princeps foret: in Christo enim omnes pares sumus, & calumnia gravius affligit mileros quam divites.

CASUS LXIV. Clemens & Judas mercatores ac concives mutuis se calumniis dilacerarunt. Unus eorum sese offert ad reparandam alteri injuriam, qui autem non solum idem facere recusat, sed & concivem suum diffamare pergit. An prior tenetur sub peccato mortali reparare famam alterius?

ꝛ. Cum ambo sint ejusdem conditionis, & utriusque delictum æquale, uterque tenetur æqualiter ad reparationes famæ læsæ. Cum igitur unus eorum huic obligationi satisfacere renuat, alter quoque ab ea eximendus videtur: necesse

Dicitur. Ca. Conf. Tom. III.

S

tamen

tamen est, ut ambo coram Deo factam sibi invicem injuriam ex corde condonent. Observandum hic, quod, si inæqualis forent conditionis, & unus alteri notabiliter graviorem intulisset injuriam, ille, qui gravius offendit alterum, non posset uti jure compensationis. *Pontas.*

NOTA. Ne detur mutua prioritas excusationum in peccatis, tenetur quilibet prævenire alterum revocando calumniam & condonando injuriam.

CASUS LXV. Olivierus judicialiter fuit accusatus de commisso furto, & Artus testis fide dignus contra ipsum deponit. Olivierus autem ex actis authenticis probare potest, Artum in alia occasione falsum deposuisse testimonium, & hæc acta in judicio exhibet, quæ Artus publice diffamatus est. Teneturne Olivierus coram Deo injustam Arto diffamationem resarcire? & quomodo?

ꝑ. Supposito, quod Oliviero, alia sese purgandi via non patuerit, & quod exhibitio actorum servare valeat ad sui defensionem & testis reprobationem, utpote jam semel de falsitate convicti, Olivierus ad nullam tenetur famæ reparationem. *Si autem detectio criminis alieni, inquit Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 2. quæsitio 10. non sit necessaria ad famæ tuæ defensionem; sive quia potes aliter eam tueri, ut juramento vel testibus; sive quia tale crimen alienum detegere est ad tuam defensionem impertinens; peccas contra justitiam illud detegendo, & ad restitutionem obligaris. Pontas.*

NOTA. Id Oliviero licet, si est innocens. Si autem est reus, & contra ipsum jam aliunde probatio habeatur semiplena, tenetur fateri crimen. Exceptione tamen contra Artum uti potest, ne habeatur pro legaliter convicto.

CASUS LXVI. Gracilianus conscius furti a Rauldo secreto commissi, eum, ut ipsius exitium promoveat, judici denunciat. An tenetur Rauldo reparare injuriam ex mera vindicta illatam?

ꝑ. Gracilianus non peccavit quidem contra justitiam, peccavit tamen contra charitatem; & hinc ad nil aliud tenetur quam ad poenitentiam de suo peccato contra charitatem proximi commissi. *Aliquis potest alicui famam tripliciter auferre, inquit S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. uno modo verum dicendo & juste; puta cum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato: & tunc non tenetur ad restitutionem famæ &c. Pontas.*

CA-

CASUS LXVII. Marcellus textor fericarius publico rumore furti notabilis Parisiis commissi infimulatus inde aufugit poenam evasurus, & Lugdunum se contulit, ubi crimen hoc penitus ignotum erat, & verosimiliter nunquam innotuisset, nisi Eutropius furti conscius id ibi manifestasset, & insuper iis indicasset, qui Marcelli operam conduxerant. Peccavitne Eutropius, & num etiam ad aliquam reparationem famæ tenetur?

ꝑ. Haud dubie peccavit gravissime contra præceptum charitatis naturale & divinum, quod vult, ut non faciamus alteri, quod nobis fieri nolumus; & quidem vix possibile erit eum excusare a peccato mortali in hisce circumstantiis facti; eo quod, ut supponitur, nec bonum publicum nec cujusquam privatum eum moverit ad hanc manifestationem. Licet verum sit, Marcellum commissi furto publice infamatum excidisse jure ad famam suam Parisiis, & ubique demum, ubi publica crimen ipsius notitia patet; non tamen inde sequitur, illum hoc jure suo sine justa causa privari posse etiam in locis remotioribus, in quibus mala ipsius agendi ratio erat incognita, & fors nunquam in notitiam ventura imposterum. Nihilominus si Marcellus de furto judicialiter convictus publice poenam afflictivam aut infamatoriam subiisset, Eutropius ad nullam teneri reparationem videtur ob factam Lugduni publicationem; quia 1. quilibet habet jus sciendi judicia publica ubicumque demum lata. 2. Quia mens legis est, ut infamia publica constituat partem poenæ per sententiam condemnatoriam in reum latæ. Verum cum sententia publica judicialis in Marcellum non fuerit pronunciata, Eutropius in conscientia obligatur non solum ad reparationem pecuniariam, sed etiam, quod difficilius est, ad restitutionem famæ læsæ. *Pontas.*

NOTA. Si Marcelli crimen jam erat notorium Parisiis, & si timetur, ejus bonam famam fore nocivam Lugdunensium non nullis, non videtur dari obligationem restituendi. Vide Cas. 66.

CASUS LXVIII. Bertholdus contra regulas fraternæ correctionis publice divulgavit crimen occultum Natalis, & quidem ita, ut non amplius possit restituere ablatam Natali famam. Potestne, aut etiam tenetur jacturam famæ reparare oblata summa pecuniaria?

ꝑ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. certum esse videtur, quod Bertholdus per pecuniam teneatur reparare jacturam famæ ablatæ. *Consentiunt omnes, inquit Covarruvias var. resol. L. 1. c. 2. n. 8. famam posse pecunia compensari; tamethi*

S 2

methi

metri maxima estimationis fama sit. Sic etenim aurum est pretiosius argento; & tamen magnum pondus argenti praevalet parvo auri ponderi. Ex quo patet, famam & honorem, ut res exteriores, hominum arbitrio subiici. Pontas.

NOTA. Propalatores criminis veri non obligandi esse videntur ad restituendum in pecunia. Aliquando etiam Reipublicae interest nosse vere malos.

CASUS LXIX. Cleonides ante duos vel tres annos honori cujusdam puellae detraxit, quae tamen hoc non obstante prosperrimum contraxit matrimonium, suoque cum marito in summa vivit concordia. Cleonides jam tandem confitetur hoc peccatum, quod hucusque memoriae non occurrerat. An a confessorio obligandus erit ad reparandam puellae injuriam?

R. Si detractio in audientibus nullam fecit impressionem, vel si detrahens verosimile judicet, detractionem jam esse oblivioni datam, vel denique si malum de puella propalatum postea certo innotuit, non est obligandus ad reparationem famae. Idem dicendum; si quis per reparationem injuriae sese exponere deberet periculo vitae, aut sustinendi notabile malum in bonis aut persona sua. Verum si etiam diffamatus de vita periclitaretur, calumniator ad reparationem teneretur cum periculo propriae vitae; dummodo per detectionem calumniae suae possit salvare innocentem: *Hoc tamen intellige, inquit Caballutius L. 6. c. 22. n. 2. modo suam declarando nequitiam liberaturus sit innocentem: nemo enim tenetur ad inutile opus cum proprio gravi incommodo. Pontas.*

NOTA. Haec doctrina, quod periculum incurrendi notabile malum a restitutione sanae excuset, nisi diffamatus ipse periclitaretur de vita, adversari videtur naturali principio: *Quod tibi non vis fieri &c.* saltem in casu, quo quis falsum crimen sparfit de aliquo.

CASUS LXX. Theophrastes Superior monasterii sciens, quod quidam suorum subditorum perversam inter alios doctrinam seminaret, eum clam corripit ex praescripto Evangelii; cum autem nulla fuisset secuta emendatio, rem detegit toti Capitulo adhuc penitus infcio. Teneturne Superior reparare famam hujus subditi?

R. Non tenetur ad ullam restitutionem. *Quando iudex aut quisvis alius Superior, ait Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 2. quaesito 10. servatis debitis circumstantiis subditorum peccata occulta manifestat, vel ad eorum correctionem, vel ad aliorum exemplum, nulli restitutioni est obnoxius. Idem dicendum de subito*

subito denunciante alterum de simili facto apud Superiorem. Pontas.

NOTA. Haec vera sunt, si quis doceat propositionem a generali Contilio damnatam in terminis, vel professioni fidei aperte contrariam. Circa ea vero, quae Roma non damnat accedente uniformi assensu Ecclesiae, si quis diffametur ut haereticus, vel suspectus de haeresi, ad restitutionem tenentur sic diffamantes.

CASUS LXXI. Theodimus a Godefredo Marcelli famulo emit adamantem pro summa 150. florenorum, licet, ut probe sciebat, Marcello ablatum a famulo, & eum donavit amico suo Teneturne Theodimus restituere Marcello adamantem, vel justum ejusdem valorem, licet nihil commodi exinde perceperit?

R. Si famulus non restituat, absque dubio Theodimus tenetur restituere vel adamantem, vel justum ejusdem valorem. *Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut, cui est ablata, reddatur. Cap. Rapinam. 5. 14. q. 5. Ratio est; quia, qui recipit rem, quam scit esse furtivam, nunquam illius acquirit dominium, etsi per plurium jam manus transierit; nec unquam possessor probare poterit, rem ad se pertinere. Pontas.*

CASUS LXXII. Brutus abstulit Desiderio atramentarium argenteum, & vendidit Samsoni, qui illud bona fide emptum vel donavit amico, vel vendidit aurifabro; vel casu fortuito perdidit. Teneturne Samson postea comperiens, dictum atramentarium a Bruto fuisse furto sublatum, saltem ejusdem valorem restituere Desiderio?

R. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 7. C. in praesenti casu non tenetur: bona enim fides ab hac obligatione ipsum eximit. Si tamen possessor bonae fidei vendidit rem alienam durante bona fide majori pretio, ac emerat, tenetur excessum restituere vero domino rei, si innotescat. Si autem nihil lucrari aut commodi inde percepit, nulla datur obligatio restituendi pretium rei, quam alienavit, aut durante bona fide perdidit, ut docet S. Raymundus in Summ. L. 2. Tit. 6. §. 7. Pontas.

Vide Caf. 96.

CASUS LXXIII. Silvanus horologium argenteum furto a se sublatum vendidit Bertrando, qui non quidem certo sciens, dubitans tamen, an non sit res furtiva, pro eo persolverat 25. florenos. An Bertrandus tenetur horologium restituere?

R. Si Bertrandus horologium emit animo illud retinendi, non obstante suspitione furti, peccavit mortaliter, & tenetur exacte inquirere; dumque comperit, horologium esse furto